

**The legend after *Codex Laurentii Odonis***

A prologue in the *Codex Laurentii Odonis* ("CLO") is not included here. Initial "i" is written as "j" in ms A 182. < > shows text supplied passages that are not in the manuscript. [Letters indicate sections referred to in the edition Nilsson, 2010. See also *Scriptorum rerum svecicarum* 2, p. 371-372)]

[a]

Tempore illo erat rex quidam in regno svecie olauus nomine / vir magne liberalitatis et prudentie et in bellicis rebus incomparabiliter strenuus deuotum animum gerens set non secundum <fidei> scienciam quia paganus erat et ydola colebat / nec aliud nouerat .

Audierat tamen christianitatis nomen forte nuncupari . sed ad quid uel quare sic diceretur penitus ignorabat quia christum nec intelligebat nec predicacione alicuius in fide roboratus fuerat .

Regi quidem anglorum mildredo in tantum confederatus erat / vt exenniis regalibus et donariis ad invicem honorarentur . et pacto pacis regnum vtriusque foret stabilitum .

[b]

Hiis itaque gestis accidit vt inter secreciora que inter eos mittebantur rex olauus diuine pietatis consilio succensus a rege anglorum peciit / vt sibi aliquis in fide catholica plene instructus mitteretur . dicens se christianum fieri uelle . si certum de eadem posset habere .

Quod audiens rex anglie mildredus intellexit cor eius uisitatam a domino . plurimumque eius uisitationi congratulans et [con]gaudens . petitionem ipsius benigne suscepit / seque cooperatorem salutis anime eius fieri spopondit/prebuit/.

[c]

Igitur rex anglie congregato communi consilio clericorum ac sacerdotum insinuat eis regis pie petitionis voluntatem propositumque suum fuisse regi celorum deinceps militare iugoque fidei <christinana> collum submittere.

[d]

**The legend after ms UUB C 292, fol.**

**36v–40v,**

called "Version des Hostienmirakels" in Önnérfors' edition (1968), p. 117 ff. (interpunction below follows his edition).

NB: in order to facilitate a comparison, parts of lessons VIII and IX are placed beside the corresponding text in CLO.

I. Erat olim rex quidam gothorum olauus nomine : uir magne liberalitatis et prudentie. Qui licet paganus et bellica strenuitate animosus fuit et more gentilium ydola coleret, natura tamen benignus et deuotus exstitit : et ad honesta queque tractanda spectabilis. Hic regi anglorum myldredo eo tempore christiano tam intima familiaritate confederatus fuit, vt non solum familiarium internunciorum et donatiuorum regalium frequencia honorarentur ad inuicem : sed ut eciam regnum eorum utriusque eo securius pacis federe se munitum fore gauderet. Audierat forte idem rex olauus nomen christianitatis nominari : sed quid esset penitus ignorabat. Deus autem omnipotens cor eius ad agnicionem nominis christiani excitauit, ut frequencius quid hoc esset in mente reuolueret : et cum quibus potuit familiariter tractaret de professione fidei christiane.

[I.] Accidit igitur ut inter secreciora que inter dictos reges communicarentur rex olauus diuini amoris feruore succensus aperuit se uelle fieri christianum, si haberet aliquem qui eum de ueritate eiusdem fidei catholice informaret. Quod audiens rex anglie memoratus [SRS: mildredus] intellexit cor eius uisitatam a domino plurimumque gauisus

prelatos ac periciores clericos sui regni conuocauit : aperiens eis tam pium secreti sibi commissi archanium. Petiuitque instantissime aliquem ydoneum preconem uerbi dei dirigi ad memoratum regem gothorum , et gentem regni illius nephando ydolorum cultui deditam : potentem auxiliante domino populum illum educere de gentilitatis errore ad agnicionem fidei christiane.

[d] Cumque per triduum celebratum fuisset a rege consilium . et multi inter eos exhortacionis et pietatis sermones habiti fuissent de predicatore christiane fidei <ydoneo sweorum> regi transmittendo / nemo ex tanta christi sanctorum [aliter: sacerdotum] turba penitus inueniebatur qui se pro deo huius peregrinacionis labori subdere vellet . Ferocitas quippe gentis illius aures multorum perculerat / Et idcirco quorumlibet corda formido titillabat .

Set deus omnipotens omnium futurorum prescius . qui nullum cupit perire . set omnes vlt salvare . ante secula talem previdit eis destinandum qui dignus haberetur ad errorem animarum depellendum .

[e]

Triduo igitur[aliter: ergo ] celebrato consilio . cum nemo huius peregrinacionis laborem suscipere decrevisset / inspirante tandem diuino consilio sanctus sigfridus eboracensis arcepius vir magne auctoritatis et religionis . litterali scientia ad plenum eruditus qui poterat proferre de thesauro suo noua et vetera . in medio exurgens consilio ita regem et cunctos proceres qui conuenerant affatur dicens .

‘Sanctissimi patres et domini qui diuino nutu et regis precepto ad consilium hoc euocatos vos attenditis . Cur non voluntati diuine et principis nostri precibus concordamus . cum satis liquido constet diuine voluntatis fuisse indicium errorem illius gentis per virtutem dei eliminandum . et viam veritatis ad salutem animarum predicandam . Si enim regi terreno ad honorem nominis <dei> et gloriam regni sui totis votis pro terrenis impensis indefesse staremus et laboremus . quanto amplius diuine voluntati et prouidencie obtemperare debemus . a quo tocus laboris remuneracionem sperare debemus . vbi non pro terrenis uel transitoriis laboratur . set pro solis animabus ipsi domino acquirendis .[?] Felices namque erimus si nos pro domino perscutionem pati contingerit vel mori . quia beati qui persecucionem paciuntur propter iusticiam . et beati qui in domino moriuntur . Excitetur igitur mens vestra et consilium in domino et laborem huius peregrinacionis deuoto animo suscipite . ut post hanc erumpnam vite percipiatis mercedem remuneracionis eterne.’

[f]

[L.] Sed post multa pie exhortacionis monita quispiam non inuentus est qui onus tante pietatis assumeret : propter nimis diuulgatam ferocitatem gentis illius. [Lco ii]

II. Deus autem omnipotens qui saluti hominum [C292: homini] non desinit prouidere excitauit cor fidelis athlete sui sancti sigfridi eboracensis archiepiscopi , ad suscipiendum opus ministerij huius ob honorem dilatacionemque nominis christiani et salutem animarum. Qui regi et congregacioni clericorum post plurimas exhortacionum inductiones ait. Si nullus alius sit qui opus huius peregrinacionis tam pie aggredi voluerit, id sub uirtute obediencie michi auctoritate huius sancte congregacionis iniunctum auxiliante domino suscipere non recuso.

[f] <Lco>2. Cum hec ita vir deo [aliter: dei] plenus in auditu omnium perorasset / placuit sermo eius omnibus et diuina annuente gracia omnium vota in eo quieuerunt / vt peregrinationis huius laborem susciperet ; recepturus eandem sine dubio quam predicauerat mercedem pro labore terreno .

Ille itaque vt athleta dei in domino deo suo confidens absque terrore . eandem peregrinationem quasi ex mandato omnium obediens suscepit / Commendans quoque se suosque consilio diuino ac sanctis eorum precibus . eisque valedicens recessit ab eis . Iubet igitur suis vir sanctus vt sumptus necessarii celeri motu ad peregrinandum pararentur . nauisque apparatus cum suis accelerarent pertinenciis . Omnibus itaque ob iter necessariis paratis . exul sanctus sigfridus nauim conscendens . patriam parentesque ac natale solum relinquens oppansis uelis per medium pelagi iter arripuit cum suis . Prosperis ergo ventis lata sulcantes equora tandem paucis euolutis diebus ad daciam applicuerunt . Erat tunc in daciam satis nouella plantacione christianitatis [aliter e.g.: nouella plantacionis christianitas (Adam Brem.) Önnersfors: nouella plantacio christianitatis.] quia necdum plene catholice fidei colla submiserat seua gentilitas .

[f add. Codex Laurentii Odonis]

Rumor itaque de aduentu sancti viri per regiones circumquaque spargitur . quia lux in abscondito diu latere non potuit / quam diuina pietas ad salutem populorum destinauit . Rex siquidem dacie audito eius aduentu . magno repletur gaudio totaque eius familia exultans gaudebat . Barones et optimates regni vna cum rege in occursum eius venientes eum magno cum honore exceperunt dicentes . 'Benedictus qui venit in nomine domini . ' Eo tempore conuersabatur cum rege vir quidam magne sanctitatis et religionis . fidei catholice predicator . qui assiduis monitis atque sancta predicatione populum in timore domini roborauit . Hic comperto beati viri aduentu . debitam ei in omnibus reuerenciam cum amicicia impendebat . Erantque simul cum rege hee due lucerne super candelabrum posite . quas diuina pietas ex longinquis partibus in salutem congregauerat populorum . Delectabatur quoque cotidie rex viri dei colloquiis . intelligens eum virum sanctum ac benignum . eiusque sacra monita pectoris archano recondebat . Transacto denique aliquanto temporis spacio . cum rex illius magis ac magis delectaretur colloquio . vir dei regi sue peregrinationis insinuat voluntatem . acceptaque ab eo licentia . non minimas gratiarum acciones pro beneficiis regia a celsitudine sibi suisque collatis exsoluit . Hiis auditis rex satis indoluit / quod tanti consilii consolatorem per longioris spacii protelacionem retinere non potuit . difficile tamen videbatur eum ab incepto itinere retardare . cum salus animarum et ad deum per fidem illius gentis conuersio . indesinenter eius aduentum videretur expetere . Accepto itaque a rege conductu . ad inuicem valedicentes . vir dei vt fortis bellator christi . non timore passionis perterritus . set fidei armis et caritatis decenter armatus in domino deo suo spem et auxilium ponit /

[II.] Quo audito exultauerunt omnes in domino . gracias deo altissimo referentes . qui talem ad huius ministerii officium preuidit : qui auctoritate vita et sciencia ydoneus in domino est inuentus.

[II.] Haut mora sanctus presul christi sigfridus gloria archipresulatus . diuiciis . patria . parentibus . consanguineis . et amicis relictis . assumptis paucis paratis secum pro christi nomine mori mare transiens anglicanum .

peruenit in daciam, ubi tunc nouella fidei christiane plantacio fuit.

[g]

et versus partes swecie vt ceperat faciem suam  
conuertens vias difficilimas est aggressus . et  
per ardua moncium . per abrupta petrarum . per  
condensa siluarum iter faciens peruenit tandem  
in terram que wærendia dicitur .  
que prima est terrarum in partibus swecie  
[aliter: gothie] ad meridiem omnibus bonis  
habundans . piscosis fluminibus .  
apibus et melle repleta . agris fertilibus et  
pratis decorata . feris diuersorum generum  
opulenta . siluis magnis et densissimis  
circumcincta .

[h]

In hac ergo . vt diximus sanctus vir . sigfridus  
eboracensis archiepiscopus primum ingressum  
habuit / et in locum qui nunc ab incolis dicitur  
wexio domino ducente peruenit . In quo loco  
edificium constructum est lapideum . in  
honorem eiusdem sancti . et in memoriam beati  
johannis baptiste . Que videlicet ecclesia  
episcopali sede decoratur usque in hodiernum  
diem.

<Lco>3. Erat quippe locus ille siluis et piscosis  
fluminibus circumdatus . pratis virentibus  
adornatus in quo sanctus dei tentorium fixit /  
suosque post nimium asperi itineris laborem  
refocillari precepit . Erant autem cum eo tres  
nepotes sui cluniacensis ordinis disciplina  
imbuti . quorum nomina sunt vnamannus  
sunamannus wynamannus . Vnus sacerdotis  
fungebatur officio . secundus dyaconatus  
tercius subdyaconatus . Vir igitur sanctus  
laboris magnitudine attritus fessa nimium  
membra quietis requie recreare volens  
tentorium ingressus pausam modicam sibi  
indulsit . Quod cernens vnamannus eius nepos  
. curam domini sui sollicite agens concito venit  
et secus eum resedit .

[j]

Sompno quippe uir dei cicius corripitur .  
angelum domini fulgore nimio amictum sibi  
cernit assistere wltu placido tali exorsum  
affamine . 'Surge cicius deo dilecte et sequere  
me .' Illo autem in spiritu eum sequente . duxit  
ad locum procul . quem certis terminis  
edificande ecclesie prefixum ostendit / sicque  
disparuit .

[II.] Deinde per uias difficilimas per ardua  
moncium . per abrupta petrarum . et per  
condensa siluarum iter faciens peruenit tandem  
in wærendiam : que prima est terrarum regni  
swecie ad meridiem.

[II.] In hanc ergo vt diximus sanctus dei  
sigfridus eboracensis archiepiscopus primum  
ingressus . ad locum qui wexio dicitur domino  
duce peruenit . laudans ineffabilem christi  
clemenciam, qui ipsum per maris pericula et  
loca deuia ad terram peroptatam salubriter  
perduxit.

In quo loco cum post iter asperm nimis  
tentorium figi precepisset , et in eo membra  
laboribus fatigata sopori daret:

[II.] vidit in sompnis angelum dei dicentem  
sibi . Surge deo dilecte et sequere me . Quem  
cum in spiritu sequeretur : ostendit ei locum  
certis distinctum terminis : dicens. Hic domum  
domino edificabis , in qua reis uenia : et iustis  
gracia conferetur.

[k]

Expergefactus itaque vir dei a sompno surrexit  
nepotemque suum solum adesse intuens dixit .  
'Patuitne ingressus alicui cum obdormiremus  
'? Cui cum respondisset . 'nulli domine' .  
adiecit sanctus et dixit . 'Apparuit michi per  
visum vir quidam . venusto aspectu .  
decoraque facie . sicque me affatus dixens .  
'Surge cito et sequere me' .  
Cum itaque e vestigio eum fuissem secutus .  
ostendit michi locum diuini oratorii certis  
prefigens terminis latitudinem atque  
longitudinem dicens .  
'Domum hic domino construes . in qua reis  
condonabitur venia . iustis conferetur gracia .  
Veni ergo consideremus si sompni huius visio  
veritatis testimonio valeat comprobari' .  
Surgentesque continuo . citi ad locum  
properant / inueniuntur signa certis indiciiis  
prefixa . que viro dei ab angelo fuerant ostensa  
.  
Iubeletur [aliter: Iubilatur] itaque dignissime  
nomen domini ab vtrisque . qui semper suos  
consolatur in spe .

[l]

Aliquantis ergo perhendinatis ibi diebus .  
incole terre ad eum ceperunt concurrere .  
aliquanti propter ammiracionem . aliquanti  
propter deuocionem . illi videlicet quorum  
cordibus spiritus sanctus inspirauerat .

Hominem quippe intuentes indumentis  
pontificalibus cum infula et baculo adornatum  
.cernentes eum in capite cornua gestantem .  
non satis admirari quibant quippe quod  
numquam viderant .

Post hec vir domini occasione predicacionis  
accepta . verbum domini omnibus  
aduenientibus predicauit .

[l add. Codex Laurentii Odonis]

Intendebant autem in eum quidam admirantes eloquentiam et affluentiam verborum .  
alii vero quorum contra mens sanior ob industriam doctrine eius eum audiebant .  
Cooperabatur namque dominus labori eius seu predicacioni illustrando corda audiencium  
.

Confluebant ad eum plurimi nobiles et indigene . nouam sectam audientes predicari .  
et diuine doctrine aurem accomodantes . verbum vite intentis animi auribus absque  
contradiccione percipiebant .

Erant ergo xij tribus in hac terra / per quarum magnates seu nobiles res publica siue leges  
[iniquitatum] antique [aliter: antique] regebantur.

Diuina itaque gracia inspirante maiores natu ex hiis xij tribubus indicto communi terre  
placito decretum est . vt de vnaquaque tribu viri eligerentur qui fideiussores aliorum  
existerent in misterio baptismatis suscipiendo .

[II.] At ubi euigilaret a sompno , nepotem  
[C292: nepotum] suum vnamannum solum  
adesse vidit : et dixit. Patuitne ingressus alicui  
cum dormire? Cui ille . Nulli, domine . Quod  
admirans sanctus dixit . Apparuit michi per  
uisum quidam ammictu splendidus et facie  
decorus : ostendens michi locum ecclesie  
edificande.

Veni ergo consideremus si sompni huius visio  
ueritate comprobetur . Et ad locum uenientes  
inuenerunt eum certis terminis distinctum pro  
edificanda ecclesia sicut ab angelo fuerat  
ostensum, in quo loco procurante beato  
sigfrido ecclesia vexionensis est edificata : que  
ob sui et beati iohannis baptiste memoriam  
episcopali sede decoratur . usque in hodiernum  
diem . [Tu autem. Lco iij]

III. Uerum cum in eodem loco diebus aliquibus  
moram fecisset et missarum sollempnia cum suo  
clero deuocione solita celebraret , audientes  
hec populi vicini : ad tante nouitatis  
spectaculum cateruatim concurrerunt. Missa  
itaque finita . uir dei aspiciens presentis populi  
multitudinem . spem suam ponens in domino  
ipsis causam sui aduentus exposuit , utpote  
quia pro ipsorum salute uenerat animarum :  
incipiens eos exhortari ad suscepcionem fidei  
christiane.

Electi sunt quippe viri xij antiquiores et sapienciores ex hiis tribubus . missique ad virum dei . vt cognita predicaionis veritate / consensu tocius terre ante sanctum dei proloquutores existerent.

Venientes illi xij . vbi vir dei semina fidei spargebat / intenta mente verba vite ex ore eius audiebant.

Quid plura . Ingressus est vir dei ewangelicam disputacionem super illum locum ubi dominus ait . 'Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu sancto non potest introire in regnum dei' .

Et illud . 'Peccator in quacumque die conuersus fuerit et ingemuerit omnia peccata eius obliuioni tradentur' .

Diuina fauente voluntate omnes illi duodecim ad fidem conuersi sunt . dominum nostrum ihesum christum filium dei crediderunt / atque viro dei sua nomina dederunt . terminumque sui baptismatis duodecimo die posuerunt .

Quorum nomina sanctus sigfridus scripto commendauit . ne videlicet obliuioni traderentur . Et ne forte dyabolo instigante aliquis ex eis posset a fide posset discedere.

<Lco>4. Duodecimo igitur die iterum resociati ad virum dei venerunt / et fidem quam deo et beato viro sponponderunt domino annuente eandem se tenere et in eum seruare tota mentis intencione professi sunt. Quod vir plenus deo audiens letus dominum benedixit . dicens: laudate deum omnes gentes &c. eosque gratulabunde suscipiens sacro baptisate consecrauit . Prolatis itaque eorum nominibus . recensuit vnuscuque nomen . inuentusque est vnus defuisse. Sanctus itaque sigfridus condolens nimium homini illi . asserens eum aut finxisse credulitatem . aut penituisse benefactorum . ciscitabatur ab eis cuius euentus causa ille vnus potuisset deesse . quem illi excusantes dicebant eum non de professione seu voto aliquatenus penituisse . set promta mente fidei puritatem profitentem subita morte preuentum fuisse. Audiens vir sanctus eum mortuum pro eo orationem fudit / vt eius anima aliquantula requie potiretur . ne inimicus gaudeat se de ea triumphare . quam fidei puritas probabilem testaretur fore. Accepto quoque consilio vir dei non multo post crescente christiane fidei religione . propinquis suis atque natalibus concessit vt secus sepulchrum eius signum crucis christi in monimentum fidei erigeretur. Confluebat namque turba credencium ad virum dei cotidie et baptizabatur ab eo in nomine domine ihesu christi . augebaturque de die in diem numerosa turba fidelium . Jamque ex magna parte terre illius incole colla subiugauerant christiane fidei . cum vir domini in domino deo suo exultans gaudebat quod inimicum generis humani coram suis pedibus cerneret indesinenter prosterni . fructu<m>que sui laboris se minime conspiceret priuari. Crescebat quoque sancte predicacionis instancia . eiusque opinio celeberrima vndique diuulgabatur in populo.



[m]

<Lco>5. Igitur rex olauus cuius supra mencionem fecimus audiens eum in regnum swecie aduenisse . honorabiles legatos ad eum mittens postulat ad se venire et qui ordinatis rebus necessariis ecclesiastico iuri conuenientibus . vnamannum nepotem suum virum vtique religiosum et strenuum ecclesie dei preficere voluit . sunamannum atque v<i>namannum eius coadiutores esse precepit . Mandauitque vt oracioni ad deum et deprecacioni continue insisterent / populum ad baptismum confluentem in nomine domini baptizarent . et verbum vite populo fideliter annuntiarent. Eius itaque amonitione simul et obediencia roborati et conformati / omni studio et alacritate iniunctum sibi opus implere contenderunt / predicantes et baptizantes eos qui ad deum de vanitate ydolorum confugerant / seque ipsos mandatis domini mancipantes infinita diabolo detrimenta inferebant. Beatus igitur sigfridus expleta sui gregis confirmatione valedicens omnibus . iter animo conceptum cum suis arripuit / velocique cursu regem swecie adiit. Letificatus est autem rex in occursum eius . et suscepit eum cum honore.

[III.] Cuius nouitatis fama per patriam diuulgata : tandem ad regem peruenit.

[m add. C 292]

[III.] Qui suspicans quicquam talium calliditate hostium fieri vnum de familiaribus suis in talibus plurimum circumspectum : dirigit ad tale nouitatis spectaculum explorandum. Qui ad regis presenciam mandato expleto rediens : ait. Non formidet in aliquo regie celsitudinis potencia . diuulgatam nouitatem talium aduenarum. Cui rex . Sunt ut credis homines pacis , aut hostilis calliditatis sectatores? Cui ille. Non sunt in quoquam formidandi . quia homines sunt inermes , et mores habent muliebres : magis quam actus quosquam aut calliditates uirorum bellatorum. Quibus auditis rex ait. Dic per ordinem ueritatem eorum que apud homines illos uidisti . At ille . Inueni eos congregatos in tentorio loco quodam amenissimo , ante quos ad partem tentorij posita fuit mensa quedam modica uestibus lineis candidissimis ac purpureis perornata. Inter quos uidi quendam senem cui omnes ut domino obsequiosissime famulabantur, induentes eum uestibus lineis talaribus preciosis . ac deinde sericis : et desuper purpura forme <et> pulchritudinis admirande. Imposuerunt eciam capiti eius pilleum quondam perornatum auro et lapidibus preciosis , in summitate habentem quasi cornua bina : sursum ad inuicem erecta. Ceteri uero induebantur diuersimode . alij institis lineis <et> talaribus , alii uestibus lineis et purpureis : formarum et colorum diuersorum. Deinde senior predictus assumpto in manibus baculo quodam mire pulchritudinis et forme , vna cum ceteris secum astantibus inclinavit se ante mensam : submisit quicquam vicissim perorando. Qui se erigentes ceperunt canere dulcissime , nunc simul . nunc diuisim . nunc singulariter . nunc pariter : modis inauditis et diuersis. Tandem uidi tortellam quendam minimam . ad modum niuis candidissimam poni in disco argenteo et mixturam quondam in cypho fieri argenteo . que simul sibi presentata recepit in manibus senior memoratus . stans ad medium mense eleuatis sursum oculis et manibus cum cypho et disco predictis . quicquam submisit perorans , reposuit ea in mensa : uolens in lintheo candidissimo. Et postmodum post cantus eorum aliquantulos . factum est silentium inter illos , prosternentibus se humotenus super genua sua : in facies suas. Et paululum post senior ille recipiens panem quem posuerat in lintheo eleuauit eum coram eis sursum super caput suum , ceteris stantibus super genua : eleuatis oculis et manibus se deuotissime inclinantibus [C292: -es]. Quod admirans . uidi in manibus senioris puerum tenerrimum masculum : arridentem

seniori. Quem senior reponens supra mensam : ore ad os osculatus est. Puerque disparuit : pane ipso in lintheo remanente.

IV. Ad quam reuelacionem rex supra modum obstupescens . rem tacitus considerabat . conferens in corde suo et diligenter considerans : quid talia significarent. Sed diuina illuminatus gracia . cogitare cepit quod [C292: que] forsan audiebat de fide christiana , et ad memoriam reuocans conceptum uoti sui : ait. Quod uidisti . mysterium est fidei christiane , quod apud ipsos christianos ubique indubitatum predicatur : et tenetur. Mandauitque suos paratos esse in crastinum . ad eundem secum et uidendum rem tante nouitatis : lacius diuulgatam. Et factum est cum iter aliquot dierum peregisset : obuium habuit apud kindabergh in uestigia uirum dei . sanctum sigfridum episcopum , Quem rex honorifice suscipiens et deuote . familiarique colloquione inter ipsos diucius habita , intellexit rex olauus uirum illum sibi diuinitus ad uotum suum missum esse : procurante rege anglorum memorato. Cui beatus sigfridus causam sui aduentus aperiens : quia scilicet venit ob ipsius et suorum salutem animarum. Et optata occasione habita . cepit ipsum exhortari ad fidem catholicam suscipiendam . assumens illud ewangelium domini : qui crediderit et baptizatus fuerit . saluus erit , qui uero non crediderit : condemnabitur. Et rursum. Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu sancto : non intrabit in regnum celorum.

[n]

Post non multos dies predicante viro dei  
verbum salutis populo . credidit rex et  
baptizatus est omnesque familiares et  
domestici eius . vniversusque exercitus cum  
tota eius familia.

Hec et hiis similia predicante  
sancto sigfrido , rex corde  
compunctus et amore diuino  
succensus : petiuit deuotissime se  
fieri christianum. Quod audiens  
sanctus pontifex sigfridus :  
exultauit in domino dicens. Quia  
ob salutem tuam et tuorum ueni  
rex . deo duce : fiat quod deo  
inspirante animo concepisti . Sed  
ante omnia oportet te  
abrenunciare sathane cum  
operibus suis et culture ydolorum  
et firmiter credere in deum patrem  
omnipotentem creatorem celi et  
terre , et in filium eius ihesum  
christum natum ex maria uirgine .  
passum et mortuum et cetera que  
ad fidem catholicam requiruntur :  
et exinde in nomine patris et filij  
et spiritus sancti in aqua baptizari.  
Ad hec rex ait. Credo. Et ecce aqua prope est :  
et quid me impedit baptizari? Erat enim ibi  
prope in pede montis fons scaturiens  
lympidissimus. Videns igitur uir dei tam  
diuulgatam ferocitatem regis et gentis illius  
conuersam esse in feruorem fidei christiane :  
intra se ait. A domino factum est istud. Et  
regem cum familia ibidem baptizauit. Lco v



[n add. C 292]

V. Rex siquidem lauacro salutari renatus et feruore fidei succensus , bona regalia in eodem loco existencia : scilicet villam que dicitur husabykind in huius rei memoriam ad cultum diuini nominis iure perpetuo donauit. Ecclesia quoque ibidem edificata et largissime dotata ac inibi clericis institutis , sanctus presul christi apud locum eundem ad tempus residens : populum ad fidem christi conuolantem baptizauit. Que ecclesia postmodum per longa temporum curricula cathedralis fuit : donec sedes episcopalis exinde scaris est translata.

[o]

Quo patrato sanctus dei cernens populum vario delusum supersticionis errore plurimum sibi condoluit et compaciens ei sacre exhortacionis malagma wlnurato imposuit / infundens wlnerebus eius oleum sacre predicacionis . et intingens eum vnda sacri baptismatis. Cumque hoc vir domini indesinenter patraret / et diuina donante gracia populus errores diaboli deserens ad baptismum conuolaret / ceperunt phana ydolorum destrui et dyabolo infinita detrimenta irrogari. Cernens uero beatus pontifex infinitam populi multitudinem ad christi fidem prompta deuocione indefesse concurrere nimium exhyllatus pre gaudio gracias deo egit / qui per suum laborem suo dignatus est succurrere populo.

[V.] Cumque aliquamdiu prece uerbi dei apud hanc nouelle plantacionis sue ecclesiam resedisset , cepit cum fiducia partes utriusque gocie necnon et werendie pertransire : predicando uerbum dei et populum ad fidem christi conuersum baptizando. Cum uero werendiam et utramque gociam cum ceteris eisdem adiacentibus sanctus presul christi ad fidem catholicam conuertisset et prophanam ydolorum culturam destruxisset . crescente fidelium numero : cepit et cultus diuini nominis augmentari. Vnde ecclesiis plurimis edificatis . clericisque ordinatis . et institutis . pro amministrandis sacramentis , uir dei sollicitudine peruigili statuit et ordinauit : cetera que ad professionem fidei catholice et curam pertinent animarum. Exinde sanctus presul christi sigfridus ordinauit duos episcopos quorum unum prefecit uesgocie et alium osgocie , ecclesiam uero wexionensem propter pretactam forte uisionem angelicam ipse homo dei pontificali amministrazione quousque uixit : gubernauit , Hiis itaque ordinatis crescebat cotidie numerus fidelium : et fama uiri dei celeberrima lacius diuulgabatur. **Lco vi**

[o add. C 292]

VI. Rex igitur memoratus dudum renatus in christo . cupiens beati patris sigfridi doctrina et presencia consolari , per nuncios sollennes peciit ab eo deuotissime . ut in sweciam . partes uidelicet superiores regni gothorum uenire dignaretur : gentibus illis predicaturus regnum dei. Quo audito prece uerbi dei salutem siciens animarum consolabatur in domino , et nepotem suum vnamannum , uirum religiosum . litteratum . moribus ornatum . et plurimum discretum prefecit in ausencia sua ecclesie wexionensi : aliosque nepotes suos . sunamannum et winamannum coadiutores ipsius ordinauit. Cumque in sweciam perueniret : totam patriam illam infra breue tempus conuertit ad dominum. Quo tempore beatus sigfridus duos episcopos ordinauit in swecia , quorum unum in ecclesia wpsalensi , alium uero constituit in ecclesia strengensi . ac demum percepta suorum morte nepotum ut infra dicitur : ad ecclesiam suam wexionensem cum magna exultacione fidelium est reuersus.

[p]

Videns igitur dyabolus lucrum sue iniquitatis quem in animabus decepti populi per errorem acceperat sibi deperiisse . alia iniquitatis sepius experta arripiens arma absente diu pastore . oves omni defensione viduatas lacerandas aggreditur. Denique erga nepotes sancti viri tantum malicie estum concitavit / vt xij conspiratores in eos ageret / et necis eorum compendium acceleraret. Quod quia passionis eorum se mencio intulit / qualiter absente viro dei martirium subierunt ad consolacionem presencium et exhortacionem futurorum breuiter commemorare libet.

<Lco>6. Cum beatus pontifex apud regem moraretur tres nepotes sui vt dictum est . unamannus sunamannus et vinamannus in eodem loco quem vir sanctus edificauerat et <vbi> ecclesiam de lignis construxerat / que nunc dicitur wexio . simul commanentes . assidua predicacione et exhortacione populum ad fidem sancte trinitatis conuertebant. Set quia morem terre et linguam perfecte non nouerant / quosdam viros nobiliores genere . et dignitate famosos . qui sapienciores aliis in tractandis negociorum causis . videbantur . allexerant / plerumque consiliis eorum quid eis faciendum foret innitebantur. Hii etenim tanta familiaritate eis adherebant / vt in mensa et conuiuuiis sepius iungerentur et secretis eorum per omnia conscii existerent. Considerabant quippe ornamenta eorum cum vtensilibus quam preciosa varioque decore adornata . ciphos scutellas coclearia aurea et argentea . et super hiis omnibus ammirabantur.

[VI.] Et factum est cum in suecia aliquamdiu apud regem moraretur . inuigilans ecclesiis edificandis et ceteris ordinandis que ad honorem diuini cultus . et ad salutem spectant animarum :

[q]

Cum vero id frequencius ageretur dyabolus  
tocius boni semper inuidus emulatur .  
duodecim viros prefatos aduersus eos  
concitauit / et commouit in tantum vt de nece  
eorum tractarent qualiter eos perderent et bona  
eorum diriperent. Set quia timebant plebem .  
[et] <ut> excogitatum facinus minime explere  
possent / missis inter se sortibus more  
paganorum vt ex hiis xij viris octo eligerent /  
qui conceptum facinus nocte in innocentes  
perficerent . Quod et factum est. Nam  
irrupentes nocte domum satellites dyaboli .  
in qua memorati viri iacebant / extractis gladiis  
trucidabant eos . pre<s>ci<n> dentes capita  
eorum.

Patrato itaque tam nephandissimo scelere .  
colligentes sancta capita eorum admodum  
magne vrne imposuerunt annectentes saxo  
ingenti . quem par boum vix trahere valebat . et  
in medium ampnem iuxta ecclesiam eorundem  
martyrum demerserunt.

<Lco>7. Reuertentes itaque scelerati illi . fune  
pedes eorum innectentes trahebant ad loca  
quedam dumosa et solis bestiis peruia . ibique  
eos dimittentes congeriem lapidum super eos  
coaceruabant / credentes scelus a conspectu  
diuine pietatis celari . cuius oculis nuda et  
aperta sunt omnia.

[q add. CLO]

Set deus omnipotens prescius futurorum . qui sanctos suos presciuit et predestinauit per  
martirium saluandos . noluit eos loco horroris et vaste solitudinis diu detineri . set repente  
signis et miraculis eorum sanctitatem demonstrando maluit declarare. Nam coruorum ibi  
multitudo sepius congregata vocibus suis per diem clamare et crocitare indesinenter  
solebat. Columpna vero miri splendoris per noctem ab illo loco in aere se protendens  
manifestum sanctitatis eorum indicium sui luminis claritate demonstraui. Quod cernentes  
ignari et increduli mirabantur sibi talia prodigia insolita apparere . arbitantes sibi  
deinceps meliora prosperis successibus affutura . fit quippe <con>cursus plurimorum .  
vnus alteri virtutem insinuans miraculi. Metuentes autem sceleratissimi lictores ne iusto  
dei iudicio nephandissimum scelus in conspectu populi publicaretur . et sibi digna pro  
meritis ulcio redderetur . auferentes a loco sancta eorum corpora in quo ea proiecerant /  
ad alium nocte sepelienda detulerunt . In quo usque hodie occulto dei iudicio peccatis  
populi exigentibus occultantur.

hostis antiquus saluti et honori nominis <christi  
[ej i C292]> semper inuidens . excitauit corda  
quorundam membrorum suorum nephandorum  
: qui uiri potentes et scelerati . predictos  
nepotes beati sigfridi amputatis capitibus  
crudeliter occiderunt.

[VI.] Et ut crimen tanti sceleris celaretur ,  
capita martirum christi in quadam urna . saxo  
ingenti alligato . in stagno non procul ab  
ecclesia vexionensi demergentes : corpora  
ipsorum in densitate nemorum occultata  
defoderunt. Lco vii

[r]

Gaudebat itaque dya<bol>us se de nece seruatorum dei tam terribiliter triumphasse . et velociter iniquitatis arma arripiens in nouellam christianorum plantacionem acrius deseuit et oues tocius pastoralis cure destitutas nequicie sue veneno lacerandas aggreditur. Inflammat namque iras / odia excitat / acuit cupiditates . nutrit discordias. Hunc invidia stimulat / illum fallacia supplantat / illum in superbia eleuat / istum fraudibus necat / alium adulterio polluit / illum homocidio interficit. Talibus nequicie armis improuisos inuadit et secum ad inferos protrahit.

[r add. CLO]

Beatus igitur sigfridus cum de suorum nece nepotum nuncium accepisset et causa occisionis eorum ei innotuisset / grates immensas egit deo qui eos de mundi huius colluione per coronam martirii eripuit / et preciosa morte per sanguinis effusionem ad se venire disposuit. Condolens itaque nimium confessor christi ouibus sibi creditis . omni consilio siue solacio destitutis . reditum suum ad eas visitandas et consolandas accelerare parat. Accepta quoque a rege licencia et occasione vie coram eo exposita . suis indixit parere ad iter necessaria.

[s]

Rex siquidem audiens nepotes sancti viri tam crudeli morte peremptos uehementer indoluit / et virum dei cum suo comitatu illuc premittens [aliter: <permittens>] se ocius e vestigio sequiturum promisit dicens . Antecedat sanctitatis tue excellencia cum tuis . gregisque tui nouellam plantacionem reformare et ad pristinum statum reducere studeto. Nos vero omni dilacione remota iter tuum insequentes persone tue lesum reformabimus honorem . et mortis tuorum nepotum crudelitatem legis nostre censura cum iudicaria potestate constringente<s> . condigna preeunte satisfaccione vindicabimus. Timebat enim rex ne vir dei nimij doloris anxietate de nece suorum stimulatus populum in fide tenerem desereret.

[s add. C 292]

et ob hoc illuc eum cum suo comitatu premittens : e uestigio se secuturum promisit dicens . Antecedat tue sanctitatis excellencia cum tuis : gregisque tui nouellam plantacionem reformare studeto. Nos vero omni dilacione remota iter tuum insequentes . persone tue lesum reformabimus honorem , et mortis tuorum nepotum crudelitatem . legis nostre censura , condigna preeunte satisfaccione : vindicabimus. Quod et factum est. Nam rex ipse collecto exhercitu . manu forti terras illas est ingressus , et huius rebellionis auctores morte turpissima condempnauit : et populo terre communiter indixit numerum auri et argenti talentorum multorum. [Tu autem.]

[in cod. C 292 sequitur VIII:x-VIII:y («Summa igitur » &cet.): vide infra post IX:2!]

VII. Gaudebat igitur hostis antiquus se de nece seruatorum christi tam crudeliter triumphasse . et in nouellam christianitatis plantacionem acrius deseuiens . populum christianum non tantum verendie . sed utriusque gocie tanta crudelitatis rabie dilaniandum aggreditur , quod non solum sue iniquitatis satellites ecclesias combusserunt : sed et clericos et quoscumque fidei christiane defensores morte crudelissima ubique trucidabant . ad nephandum ydolatrie cultum redeundo.

[VII] Quod audiens rex doluit uehementer . et mittens quamcicius pro pace et status fidei securitate reformanda , inuenit omnes passus uiarum strictos et difficiles ad meandum obstructos et manu forti munitos : ne cuiquam patere posset aditus ad persecutores illos fidei christiane. Per quod intelligens rex populos illarum parcium non solum a fide christi tam crudeliter apostasse sed et a sue dominacionis imperio tamquam contumaces et rebelles recessisse , adiuracione perpetua statuit in huius rei memoriam : ne umquam extunc aliquis rex gothorum, sed sweorum debeat nominari.

[VIII] Metuens igitur rex ne uir dei . nimij doloris anxietate de nece suorum stimulatus . populum in fide renatum desereret

[s add. CLO]

<Lco>8. Igitur cum beatus sigfridus wærendiam rediisset / suos vt prediximus inuenit occubuisse nepotes . cunctaque vtensilia seu res necessarias quas in vsum diuini ministerii siue domesticis necessariis deputauerat penitus dissipata et dispersa comperit / populumque in fide vacillantem . iamque ad occasum tendentem magis doluit. Laborem itaque dolori superponens . noctes diesque peruigiles ducebat / oracioni predicacioni et exhortacioni insistens lapsum quorundam gemens . alios in fide corroborans . quosdam vero ad eandem conuertens et in fide consolidans . ad baptisma quoque conuolantes benigne suscipiens . seque ipsum diuine seruituti mancipando iugiter aptabat.

[t]

Eodem namque tempore cum vir sanctus pro nepotum suorum ostensione domini clemenciam iugiter exorauerat / nocte quadam ex suo domicilio exiens . cum secus stagnum quod cymiterio eiusdem ecclesie adiacet deambulet / uidit in stagno tria luminaria in modum stellarum clare lucencia . et ad [h]oram orientalis ripe tendencia. Quod vir domini intendens deum letus benedixit / et ad locum e regione constitutum celeriter occurrit. [C292: occurrit] Cum autem luminaria littori appropinquarent / eiectis vir domini coturnis quos in pedibus habebat / seque in aquam mittens . obuiam prosiluit. Cernensque sanctus dei se a domino exauditum . miramque et ineffabilem domini misericordiam dignis extollere laudibus cepit / qui sanctos suos glorificare atque illustrare dignanter in celis et in terris disposuit.

Vir itaque domini propius accedens . vt desiderium cordis sui acquireret celerius . lumen quod eius oculis prius apparebat ablatum est.

[u]

Illo vero perseuerante vt quereret / diligenciusque perscrutante . inuenit tandem situlam ligneam cum tribus capitibus magno lapide alligatam / quam assumens ad terram detulit / et sedens capita in sinum collegit / merensque nimis . atque humano affectu eis compaciens dixit / Deus vindicet. Statimque vnus ex capite vox emissa ita respondit / Vindicatum erit. Econtra aliud inquit / Quando?

Et tertium ad hoc intulit: In filios [C292: filii] filiorum. Apparebant namque capita eorum adeo recencia et incorrupta ac si eadem hora a corporibus fuissent abscisa.

[VIII:z] Sanctus itaque sigfridus pro suis nepotibus gracias agens deo . qui eos tam preciosa morte per sanguinis effusionem ad se venire disposuit , semper intimo cordis affectu petiuit a domino : vt de corporum eorum inuencione consolari mereretur. Quadam igitur uice cum ambularet cum suis tempore serotino iuxta stagnum in quo capita eorum dimersa intellexerat , uidit in medio stagni tria luminaria in modum stellarum lucencia . et ad oram orientalis ripe tendencia : et letus deum benedicens ad locum illum cum suis celeriter properauit. Intellexit enim uir sanctus se a domino exauditum <et> pro suorum reuelacione nepotum : exultauit in domino.

[VIII:z] Et aquam aliquantulum ingressus . inuenit vnam cum tribus capitibus . lapide magno alligatam , quam assumens in terram detulit : et capita in sinum suum lacrimando colligans . et eis pie paternitatis affectu condolens . dixit . Vindicet deus. Statimque vnus capitis uox emissa : respondit. Vindicabitur. Aliud inquit. Quando? Tertium subiunxit. In filios filiorum. Que capita in ecclesia vexionensi . honorifice sunt recondita , sed corpora eorundem martirum christi . exigentibus peccatis hominum : usque in diem hodiernum non sunt inuenta. Lco ix

[v]

O ammiranda virtus diuina ! O predicanda  
vbique eius potentia . O per omnia laudanda  
eius misericordia . qui ita confessorem suum  
letificare dignatus est / vt quam preciosa esset  
in conspectu suo mors sanctorum eius . tot  
miraculis attestantibus ostenderet. Lux autem  
celitus emissa vasto gurgiti inter crispantes  
vndas vim ventorum non metuens resplendebat  
/ saxum ingens inter fluctantes vndas enatauit /  
et insensibilia capitum ora voces clarissimas  
emittebant / et per lingue officium verborum  
motus plene et perfecte informabant. Quis  
namque talia audiens non obstupescat Quis non  
elinguis fiat?

**IX :1.** O admiranda uirtus diuina o predicanda  
eius vbique potentia . o per omnia et in  
omnibus eius laudanda misericordia , qui sic  
confessorem suum letificare dignatus est : vt  
quam preciosa esset in conspectu suo {alt.  
domini} mors sanctorum eius . tot miraculis  
attestantibus ostenderet. Lux celitus emissa  
uasto gurgiti . inter crispantes vndas vim  
ventorum non metuens resplenduit . saxum  
ingens inter fluctuantes vndas enatabat . et  
insensibilia occisorum capitum ora . uoces  
clarissimas emittebant : et per lingue officium  
verborum motus plene et perfecte formabant.  
Quis namque talia audiens non obstupescat?  
Quis non elinguis fiat?

[w]

Igitur vir domini tantis miraculis cum  
misericordia domini inflammatu ac spe in  
domino confortatus eo robustior in domini  
virtute existens et de die in diem proficiens .  
postquam beata suorum nepotum capita digne  
apud se recondita collocauerat / vigiliis ieiuniis  
et continuis orationibus <se> exinaniens  
exercere studebat et grates deo persoluebat.

[IX:2] Vir igitur domini tantis diuine pietatis et  
misericordie miraculis consolatus ac spe in  
domino confortatus . eo robustior in domini  
virtute factus . et de die in diem proficiens . ac  
uigiliis, ieiunijs et oracionibus semet ipsum  
iugiter exercens , peragrabat partes suecie  
predicando et baptizando . et populos ad fidem  
catholicam conuertendo et conuersos sacris  
monitis instruendo : vt in illa eterna percepturi  
premia . perseuerarent.

[sequitur IX:3: vide supra post VIII:y!]

[w add. CLO]

<Lco>9. Interea rex suecie olauus de quo supra mencionem fecimus collecto exercitu  
cum manu valida wærendiam venit homicidas seu conspiratores qui nece sanctorum  
grassati fuerant iusta animaduersione dampnavit. Audiens itaque populus terre districtum  
regis erga malefactores iudicium timuit / et formido titillabat corda audiencium. Cumque  
regis iram quam iuste paciebantur . mitigare attemptarent / indixit eis numerum argenti et  
auri talentorum uidelicet pro vnoquoque illorum trinam satisfaccionem.



[x]

Collecta igitur pecunia . rex commune indixit placitum terre . et allatam in conspectu omnium ipsam quam prediximus pecuniam effuderunt. Rex itaque aduocans virum dei huiuscemodi verbis alloquitur . Scimus o dilecte deo tuam excellenciam . in tuorum nepotum occisione perualide lesam . quapropter ad iniuriam tibi factam depellendam . et honoris tui celsitudinem restaurandam huius fului metalli numerosa pondera subueniant.

VIII:x. [...talentorum multorum.] Summa igitur huiusmodi collecta , rex in communi terre placito fecit eam coram uiro dei effundi : sic dicens. Scimus deo dilecte tui excellenciam in tuorum occisione nepotum nimis lesam , quapropter ad iniuriam tuam depellendam : huius fului metalli numerosa pondera subueniant.

[y]

Ad hoc vir domini respondit . Scimus bone rex et vere scimus . diuinam in hoc facto maiestatem nimis fuisse lesam . vnde iniuriam nostram facilius contempnere possumus . set quia te o rex pre omnibus decent auri argentique diuicie . sint tibi ista et honori tuo famulancia . possessionumque tuarum quas in hwff et thyudhby regia dignitate possides ad honorem et vtilitatem sancte ecclesie perpetuo habendas concede. Audiens autem rex illius petitionis constanciam . voluntati eius libenter annuit / et possessiones quas vir dei expecierat / auctoritate regia wexionensi ecclesie perpetuo confirmauit.

[VIII:y] Ad que uir dei respondit. Scimus bone rex diuinam in hoc facto maiestatem nimis fuisse lesam : vnde iniuriam nostram facilius contempnere possumus. Sed quia te o rex pre omnibus decent auri argentique diuicie , sint ista tibi et honori tuo famulancia : possessionumque tuarum mansiones quas in huff et tiudherby regia dignitate possides . ad honorem dei et utilitatem ecclesie sancte perpetuo concede. Cuius petitioni rex libenter annuens : possessiones easdem auctoritate regia wexionensi ecclesie perpetuo possidendas dimisit.

[In cod. C 292 sequitur VIII:z (Sanctus itaque...): vide supra post VII]

[y add. CLO]

His autem transactis vir domini ad arma recurrens consueta . oracionibus et lacrimis seipsum deo sacrificium in odorem suauitatis mactabat / et gregem sibi creditum domino commendauit.

Peragrabat namque partes suecie predicando baptizando . et populos ad fidem christi conuertendo . sacris eciam monitis hos quos fide imbuerat ammonebat vt in illa eterna a deo recepturi premia perseuerarent.

[z]

Construxit namque ecclesias / clericos ordinauit / eisque indixit / vt predicando et baptizando populum domino acquirerent. Igitur post numerosam [C292: vniuersam] fidelium turbam domino illis in partibus acquisisset / ad ecclesiam suam quam primam wæerendie construxerat est regressus . ibique domino suo vt prudens et fidelis seruus talentum sibi commissum fideliter erogauit. Stetit autem ibi multo tempore seruiens deo in humilitate et sanctimonia vite . Et confectus senectute bona ad dominum cui fideliter semper seruierat / feliciter migravit. Sepultus est in eodem loco in quo sibi deo donante pausam elegerat.

[IX:3] Construxit insuper ecclesias et clericos ordinauit , eis precipiens ut predicando et baptizando : populum acquirere domino studerent. Tandem uero post magnam fidelium multitudinem domino in illis partibus acquisitam ad ecclesiam suam wexionensem quam primam verendie construxerat , cum magna exultacione fidelium est reuersus : ibique multo tempore domino suo ut prudens et fidelis servus talentum sibi commissum fideliter erogauit. Stetit autem ibi multo tempore seruiens deo in humilitate et vite sanctimonia , donec confectus senectute bona ad dominum cui fideliter semper seruierat : feliciter migravit. Sepultusque est in eodem loco : in quo sibi deo donante pausam elegerat.

**Breviarum lincop. 1493, lectio 9:a:**

Notandum quod anno domini. Mxl regnauit olauus skutkununger paganus in suecia : qui dedit filiam suam sancto olauo regi norvegie in vxorem. et ipsa baptizata cooperabatur quod sanctus sigfridus venit in sueciam et fidem predicauit. et patrem eius baptzauit. et hoc circa annum domini. Ml. Eodem tempore regnauit Kanutus rike in dacia qui deuicit angliam : vt legitur in cronicis dacie. Jn legenda vero sancti eskilli legitur quod santus ansgarius predicauit in suecia circa annos domini octingentos. xlv. et sic fluxerunt inter sanctos Ansgarium et sigfridum ducenti anni vel circa.